



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXIX. Argumentum. Quænam sit materia Baptismi declaratur in hac Decisione. Referuntur errores hæreticorum circa ipsam materiam; & resolvuntur octo dubia à nemine ignoranda circa collationem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

condemnatus: si sit obligatus in forma Camera Apostolica: si agatur de Pensione Ecclesiastica solvenda: si conveniatur actione reali: si debitum descendat ex delicto: si creditor sit ipso Clerico pauperior: si debitum sit causa depositi: si hæres sit Clericus non confecto inventario: si administravit bona aliena: si sit perjurus, vel suspectus de fuga: vel si debitum negavit; de quibus omnibus casibus tractat Barbosa *d. lib. 1. cap. 39. §. 6. ubi textus, & DD. cumular;* nec non Genuent. *in Praxi cap. 4. & Anton. de Possentib. singul. 168.* Igitur concludendum, quod Parochus judicialiter à Divinis suspensus, donec solvat æs alienum, non potest exercere actus ordinis sub prætextu impotentia ad solvendum, nisi à Judice probata impotentia liberetur à suspensione; aliàs peccabit mortaliter, & erit irregularis.

DECISIO, XXIX.

ARGUMENTUM.

Quanam sit materia Baptismi declaratur in hac Decisione. Referuntur errores hæreticorum circa ipsam materiam; & resolvuntur octo dubia à nemine ignoranda circa collationem Sacramenti Baptismi.

SUMMARIUM.

- 1 Materia Baptismi qua, & quotuplex sit? & num. 3.
- 2 Hæreticorum errores circa materiam Baptismi.
- 3 Aqua est materia remota Baptismi. Proxima ipsa ablutio.
- 4 Aqua miraculosè exorta an sit Materia Baptismi?
- 5 Aqua artificialis an sit materia sufficiens?
- 6 Ablutio an unica, vel trina esse debeat in Baptismo?
- 7 Puer projectus in puteum cum prolacione forma an sit baptizatus?
- 8 Ablutio in qua parte corporis baptizandi sit facienda?
- 9 Capillorum ablutio an sufficiat in Baptismo?
- 10 Infans inclusus in Secundina an validè baptizetur?
- 11 Infans nondum egressus ex utero Matris an possit baptizari?
- 12 Apostoli qua methodo baptizabant?

Quodcumque Sacramentum constare ex materia, forma, & intentione tum ministri, tum suscipientis diximus supra *de Sacram. in genere Decif. 1. num. 8.* quapropter ad plenam explicationem Sacramenti Baptismi, de quo agimus, oportet scire, Quæ, & Quotuplex sit Materia Baptismi? Præmittendum ad intelligentiam Quæstionis, Tres præcipuos errores adinventos ab hæreticis circa Materiam Baptismi. Flagellantes dicebant, materiam esse sanguinem, ideo flagellis illum ex humeris extrahebant, & in eo se baptizatos dicebant, tum quia in circumcissione, quæ erat figura Baptismi, sanguinis fiebat effusio; tum etiam quia scribit Apostolus *ad Hebr. 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Alii hæretici Jacobitas dicebant, materiam Baptismi esse igneam quandam adusionem faciendam in fronte, vel genis parvulorum; eo quia S. Joan-

nes Baptista prædixerat: *Ego quidem baptizo in aqua, in Penitentiam: qui autem post me venturus est (id est Christus) ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Matth. 3. 11.* Novissimè Lutherus *cap. 17. colloquiorum symposiacorum* docuit, sufficere ad materiam Baptismi quemlibet liquorem, ut aquam, vinum, cerevisiam, & quidquid potest madefacere, & esse balneum; quas ineptas hæreses, & hæreticales ineptias confutat Emin. Cardin. de Lauræa *in 4. sentent. tom. 1. de Baptismo disp. 12. art. 2. à num. 10. & seqq.* ubi respondet *Flagellantibus*, Circumcisionem fuisse figuram Baptismi quo ad effectum tantum; non quoad entitatem, & significationem; verbaque Apostoli *ad Heb. 9.* aptè significare sanguinem pretiosissimum Redemptoris nostri JESU CHRISTI. Circa verò Jacobitas, prædixisse Præcursores Domini, Baptismum Christi instituendum in aqua cum virtute Spiritus Sancti, quò verò ad ignem intelligi metaphoricè de igne charitatis, & gratiæ, quem Baptismus Joannis conferre non valebat. Vel de purgatione totius mundi faciendâ à Christo post diem Judicii universalis, ideo sequitur textus Evangelicus dicere, *Cujus ventilabrum in manu sua & permundabit aream suam. Matth. 13. 12.* Ad errorem Lutheri superfluum esset responsum, cum habeamus Evangelium manifestum *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* & ideo illum confutat Gobat *de Baptismo tract. 2. num. 15.*

His præmissis, respondentes Quæsto omnes dixerunt: Duplicem esse materiam Baptismi, *Remotam, & Proximam.* Materia remota est Aqua simplex, naturalis, sed elementaris; sive ex mari, sive ex flumine, fonte, puteo, seu palude in casu necessitatis etiam non benedicta: ad extra dictum casum benedicta juxta ritum Missalis Romani in die Sabbati Sancti. Materia proxima est ipsa ablutio, seu lotio facta hominis cum ipsa aqua. Hac responsio est de fide ob apertas Scripturas, quæ denotant Aquam materiam remotam Baptismi, videlicet, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. Joan. 3. 5.* Et *Act. 8. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Et *ad Ephes. 5. Mundans eam (id est Ecclesiam) lavacro aquæ.* Et ob diffinitiones Conciliorum tum Lateranensis *in cap. Firmiter, De Summa Trinit. & Fid. Cath.* tum Florentini *in Decreto Eugenii*, tum etiam Tridentini *sess. 7. Can. 2. de Baptismo.* Congruum autem fuit, ut Aqua deputaretur pro materia Baptismi, ut semper, & ubique præstò esse posset; & ut significaret effectus Baptismi, non solum in abluendis sordibus culpæ, sed etiam quia aqua est frigida, fluida, lucida, necessaria, & communis; juxta quas proprietates operatur baptismus, qui reprimit affectus concupiscentiæ, fleat rigorem inobedienciæ illustrat claritatem fidei, introducit in viam salutis; & est Sacramentum omnibus necessarium, & ideo institutum in matris ubique reperibili. Martius *in 4. sent. disp. 2. de Baptismo art. 1. Et in Theolog. Moral. disp. 17. num. 16.* & Emin. Card. de Lauræa *d. tom. 1. De Baptismo. disp. 12. nu. 11.* Quod autem habemus in Historiis lacris de Aquis miraculosè eventibus, & Baptisteria implemibus pro Catechumenis baptizandis; dicendum est, eas fuisse aquas naturales, elementares, justæ Dei, (cui omnia sunt possibilia) de terra educas sicut illæ de petra in deserto. *Exod. 17. 6.* Vide Magrium *in Hierolexic. Verb. Baptismus. pag. 70.* Sarnellium

nellium *epist.* 31. pag. 129. Et Joan. Bonifac. Baggattam in *Admir. Orbis Christiani. tom. 1. lib. 3. cap. 8. & tom. 2. lib. 3. cap. 1. §. 2.* Materia vero Proxima est applicatio ipsius aquæ, quæ fit per lotionem, seu abluionem; intelligendo abluionem uti *Passionem*, non autem uti *Actionem*: videlicet uti consistentem in baptizando, non in baptizante; aliàs sequeretur (si baptismus esset ablutio, quæ est actio) quòd si Minister simul, & eadem aspergione plures baptizaret, esset ibi unicus tantum Baptismus, quia esset unica tantum actio, quòd est falsum; nam tot essent baptismata, quot aspersi fuissent cum aqua. Et è contra si duo activè eundem hominem baptizarent; sequeretur, plura ibi esse Sacramenta; quia ibi plures interveniunt actiones, quòd etiam est falsum; quia homo ille unum tantum susciperet Baptismum; sicut una est tantum ablutio passiva. *Mastrius in Theol. Moral. disp. 17. num. 17.* Et Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. num. 15.*

Occasione hujus Quæstionis à studiosis nostris facta fuerunt dubia quæstia; quorum resolutionem non me piget in gratiam hujus doctissimi Cleri, hic breviter ponere. Dubia sunt, 1. An aquæ artificiales, vel aqua impura sint materia Baptismi? 2. An immersio, vel ablutio debeat esse trina? 3. An infans projectus in puteum, vel in flumen cum prolotione formæ sit Baptizatus? 4. Quænam corporis pars sit abluenda? 5. An sufficiat abluere capillos? 6. An sit baptizatus puer existens in Secundina? 7. An possit baptizari fœtus nondum egressus ex utero? 8. An Apostoli baptizaverint per aspergionem, vel infusionem aquæ? Quæ dubia ita breviter resolvuntur.

Quòd ad Primum. Artificiales aquæ non sunt materia Baptismi, veluti Rosæcæ, Cedrinæ, Cerevisiæ, Brodium, Atramentum, Nix, Grando, Glaciæ, Præna (nisi liquefiant) neque aqua impura, si adeò lituosa sit, ut vim abluendi non habeat. *Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 4. Gobat de Baptism. d. tract. 2. à num. 10. & seqq. Mastrius in Moral. d. disp. 17. num. 16.* Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. n. 12.* & nos explicuimus anno proxime præterito *de Sacramentis in genere decis. 6. num. 3.*

Quòd ad secundum: sicut diximus supra *decis. 15. num. 9. & 10.* his temporibus immersio, seu ablutio potest esse aut trina, aut unica; consuetudo tamen Diocæsis est servanda. *Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 4. Vers. Dico secundo, ubi notat, olim præceptum fuisse, ut in baptismo fieret trina immersio, seu ablutio ad coercendos hæreticos Eunomianos, impugnantés Mysterium SS. Trinitatis, & dicentes, unicam esse debere immersionem cum invocatione mortis Christi: Cap. *Multri De Consecrat. dist. 4.* Sed non multò post cum Ariani in Hispania ex trina immersione in Baptismo deducerent, etsi falsò, tres Divinas Personas esse non unius substantiæ, seu naturæ, statutum fuit, ut semel tantum mergendo Baptismus fieret: *Concil. Toletan. 4. can. 5. S. Gregor. lib. 1. epist. 41. & S. Hieron. in Epist. ad Ephes. cap. 4.**

Quòd ad Tertium, An infans projectus in puteum, vel in flumen, cum prolotione formæ sit baptizatus? est famosa quæstio, in qua pro utraque parte stant rationes, & Doctores, loquentes de validitate (quia omnes concordant, esse illicitam talem projectionem, iniquam, & mortiferam.) Igitur, quòd dictus infans non sit bapti-

zatus tenent Riccard. Palduan. Marfil. Sylvest. Armilla, & alii, quos citat, & sequitur *Mastrius in d. 4. sent. disp. 2. de Baptismo num. 41.* ex mente *Scoti in 4. d. 4. q. 3. sub A. & in sua Theol. Moral. d. disput. 17. num. 19.* Qui has allegat rationes. 1. Ablutio Baptismalis ordinatur ad vitam spirituales, & non ad mortem corporalem. 2. In tantum immersio in aquam est ablutio Sacramentalis, in quantum sequatur emersio ex eadem aqua; nam per immersionem repræsentatur Christi sepultura; & per emersionem Resurrectio Christi. Sed projectio infantis non est actus ordinatus ex sui natura ad immersionem, & emersionem subsequentem. Ergo non est ablutio Sacramentalis. 3. Ablutio, quæ est materia Baptismalis, esse debet, ut ex natura sua sit ordinata ad sordes abluendas, non ad mortem dandam; hoc enim convenit Divinæ institutioni hujus Sacramenti, & ablutioi usuali, & morali, in qua est Sacramentum institutum. Sed talis non est projectio infantis in puteum, vel in flumen. Ergo non erit baptizatus. Contrariam sententiam tenent *Suarez, Vasquez, Coninch, Bonacina, Diana, & alii, quos citat, & sequitur Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 6. Vers. Dico secundo: Horum fundamentum est, quòd infans iste est aqua ablutus: Ergo baptizatus, stantibus verbis formæ in eodem instanti prolatis, Neque obstat, quòd sequatur mors infantis: nam Baptismus est ordinatus ad vitam spirituales; non etiam ad corporalem. Simile de eo, qui baptizando infantem in cuna, tantam aquam infunderet, ut eum subfocaret. Vel si Minister baptizando per immersionem, mergat puerum in flumine, quem ex manu elapsum retrahere non possit, ita ut mori contingat; in utroque enim casu erit verus Baptismus, etsi mors sequatur. Hanc sententiam videtur amplecti *Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 34.* ubi advertit, *Scotum non docuisse contrarium, sed solum dixisse, talem projectionem esse illicitam, & peccaminosam; & nemo debet committere peccatum, ut consulat animæ alterius salutem. Ego dico, projectionem antedictam, & esse illicitam, & nullo modo posse dici Baptismum; siquidem non est actio de sui natura ordinata ad abluendum infantem, sed ad illum submergendum, & necandum; & ideo ad hærendum esse censco primæ opinioni, quam tenet etiam *Gobat d. tract. 2. de Baptismo. num. 51. & num. 262.***

Quòd ad Quartum. Non totum corpus est abluendum de necessitate Sacramenti, sed solum caput, in quo viget omnes sensus hominis. *Cap. Postquam vos. De consecrat. dist. 4. Catechism. Rom. de Baptismo. sect. 19. & Rituale in Rubric. de Baptismo.* Quòd si in capite ablutio fieri non possit, ut event, si in partu modus naturalis vertatur, erit validus Baptismus, si ablutio fieri poterit in pectore, vel sapulis. At si in pede, in digitove tantum fiat, Baptismus est dubius, & egrediente fœtu ex vulva cum vita, erit ipse sub conditione rebaptizandus. *Cap. De quibus. Extr. De Baptismo. Sylvester Verb. Baptismus 4. q. 1. Layman. d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 3. Gobat. dist. tract. 2. num. 52. Summ. Diana Verb. Baptismi materia num. 24. & seqq. Mastrius in 4. sent. d. disp. 2. num. 45. & in Theol. Mor. d. disp. 17. num. 21. & 22. Et Eminen. Cardin. de Lauræa d. disp. 12. num. 36.*

Quòd ad Quintum: An in Baptismo sufficiat ab-

lutio

lutio capillorum & disputat Emin. Cardin. de Lugo in *Responsis Moralib. lib. 1. dub. 1.* pro utraque parte; & quidem pro negativa, quam tenent Bonacin. de *Sacram. disp. 2. quest. 2. punct. 3. num. 21.* Roderic. in *sum. par. 1. cap. 25. Concl. 2. in fine.* Jo. de Cruz in *Direct. Conf. p. 2. q. 2. de Baptism. dub. 2. concl. 1.* Sylvius in *3. par. q. 66. artic. 7.* & Panimoll. *decis. 104. num. 3.* Facit hæc ratio, quod capilli non sunt pars hominis, sed quædam superfuitas, & excrementum non informatum anima; & ideo rescinduntur sine dolore, & sine sensu. E contra facit pro affirmativa, qui capilli sunt vera pars corporis humani, deservientes tum ad ornatum, tum ad fovendam cutem capitis, & secundum Philosophos probabilior est opinio, eos informari anima rationali, & nutrir per subtilissimas venulas in ipsis existentes; ideoque in statu beatifico corpora gloriosa habebunt suos capillos, juxta promissionem Christi: *Et capillus de capite vestro non peribit. Joan. 11. 1.* & qui debet tangere caput, satisfacit tangendo capillos, ut Episcopus in ordinatione Presbyteri. Ideo hanc affirmativam opinionem amplexati sunt Eminentiss. Cardin. Toletus in *sum. lib. 2. cap. 18. num. 10.* Valentia *tom. 4. disp. 4. q. 5. punct. 2.* Henriquez, Coninch, Graffius, Possevinus, & alii citati per ipsum Emin. Cardin. de Lugo *d. lib. 1. dub. 1. num. 3.* quibus adstipulatur Gobat *d. tract. 2. n. 53.* Cæterum vera est responsio, Baptismum in hoc casu esse dubium; idcirco repetendum sub conditione, ut resolvit idem Emin. de Lugo. *d. dub. 1. n. 10.* Layman. *d. lib. 5. tract. 2. c. 3. sub num. 3. Vers. Eademque ratio;* & novissimè Mastrius in *4. sent. d. disput. 2. n. 47. & in Theolog. Moral. d. disput. 17. num. 21. in fine, & num. 22.*

Quo ad sextum: Et si *Aversa q. 64. sect. 2.* velit, Baptismum esse validum, dum baptizatur infans inclusus in Secundina, dummodò membrana illa ita subtilis, & porosa sit, ut aqua ad ipsum corpus possit permeare, & circa illud fluere, quod approbat Gobat *d. tract. 2. num. 58. & num. 654.* extendens id etiam ad umbilici ablutionem; nihilominus communis est opinio DD. *supracitatorum*, Baptismum esse dubium, & sic sub conditione repetendum.

Quo ad Septimum: Non esse capace[m] Baptismi hominem non natum, & adhuc in utero Matris existentem, docuerunt plures DD. quos cumulat, & sectatur Comitulus *resp. Mor. lib. 1. q. 13. per text. in maternis 115. de Consecrat. dist. 4.* Et Mastrius in *Theol. Moral. d. disp. 17. num. 41.* Sed contrariam opinionem tenent Lessius in *3. p. quest. 68. num. 31.* Layman. *d. lib. 5. tract. 2. cap. 3. num. 2.* & Gobat *d. tract. 2. de Baptismo num. 56. & 57.* ubi ex judicio Medicorum refert, in puerperio adeo aperiri matricem, in qua est infans, ut ab obstetrice tangi possit, & per eam digitis aqua madefactis, in periculo suffocationis, posse baptizari; vel aliquo tubo, seu chirurgico instrumento aquam calidam per os vulvæ, usque ad matricem infundi, qua fœtus tingatur, & prolatione formæ baptizetur; si tamen vivus egrediatur, erit rebaptizandus sub conditione. Eminen. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. de Baptismo num. 36. & 37.*

Quo ad Octavum: Communis est opinio Doctorum, Apostolos baptizasse fideles ad fidem conversos per aquæ aspersionem, eò quia videtur difficile intellectu, quod una die fermè tria mil-

lia hominum baptizaverint, ut legitur *Act. 2. 41.* Pocrò est probabilissima sententia, per aquæ infusionem datum iisdem fuisse Baptismum; sicut enim una die Episcopus sacro Chrismate tot pueros signare solet, sic Apostolos baptizare potuisse est credendum; Layman. *d. cap. 3. n. 1. Coroll. 3.* præcipuè quia non soli Apostoli conversos sacro laticè tangebant, quamvis essent duodecim, sed secum erat turba fratrum ferè centum viginti, qui omnes ministri Baptismi esse potuerunt, ut subtiliter, & prudenter considerat Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 12. de Baptismo num. 37.*

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Formam Sacramenti Baptismi explicat hæc Decisio, referens errores hæreticorum circa illam, & docens quæ verba sint in ipsa forma de Præcepto tantum, & quæ de ejus essentia? Plures quæstiones scitu necessariæ, ac curiosæ deciduntur attinentes ad ipsam formam. Baptizare extra Ecclesiam non licet, duobus casibus exceptis, nempe necessitatis, & Filiorum Principum.

SUMMARIUM.

- 1 Forma Baptismi quoniam sit? & num. 7.
- 2 Errores hæreticorum circa formam Baptismi.
- 3 Verba in forma Baptismi, quæ sint de ejus essentia?
- 4 Differentia in Baptismo cum verbis Latinis, & cum Italicis.
- 5 In nomine Christi an sit forma Baptismi?
- 6 An in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque?
- 7 Masculus si baptizetur, & credatur femina; vel è contra, an sit validus Baptismus?
- 8 Verba forme Baptismi an invertere obstat ejus validitati?
- 9 Locus dandi Baptismum est Ecclesia, exceptis Filiis Principum, & necessitatis casibus.
- 10 Liberos appellacione veniunt Nepotes, Pronepotes, & alii descendentes ab eis.

ENucleata prima parte Sacramenti Baptismi, nempe materia, transeundum est ad secundam. Ideò quaeritur, Quæ sit forma Baptismi? Respondent DD. formam Baptismi in Ecclesia Latina esse: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* In Ecclesia autem Græca: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Pro intelligentia sunt notanda sequentia.

Primum. Quod Hæretici Eutyhiani, & Eunomiani laceraverant totam formam, & baptizabant: In morte Domini. Soerat *Hist. Tripartita lib. 9. Ar. 2* riani dicebant: *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium, in Spiritu Sancto.* Niceph. *lib. 10. Hist. cap. 35.* Sabelciani, & Gnostici baptizabant in nomine Dei. Irenæus *lib. 1. advers. hæres. cap. 18.* Lutherani, & Zuinglistæ asserunt, formam esse ad libitum cujuscumque; quia Christus non præcepit Apostolis, ut hæc, vel illa verba baptizando servarent. Emin. Cardin. de Lauræa *dict. disp. 12. de Baptismo num. 39.*

Secun-